

67 1051 April 25.
VOTIVA ACCLAMATIO,
AD MAGNIFICUM, NOBILISS. STRENUUM
AMPLISSIMUM 2. VIRUM

DN. NICOLAUM HE-
NELIUM AB HENNEFELD,
IN KURTWITZ, JC.^{tum}

SACRÆ CÆSAR. MAJESTATIS,
UT ET

ILLUSTRISSIMI CELSISSIMI 2. DUCIS LIGII
CONSILIARIUM;

DUCATUS MONSTERBERGICI,
ET FRANCOSTEINENSIS TERRITORII
PROCANCELLARIUM;

AC REIP. VRATISLAVIENSIS
STNDICUM,

DIGNISS. MERITISSIMUM 2;
DE INGENTIEJUS GAUDIO,

SUPER AUSPICATIS NUPTIIS

NOBILISS. FLORENTISSIMORUM 2. SPONSORUM

DN. CHRISTIANI FRIDERICI HENELII
AB HENNEFELD, FILII,

ET
ANNÆ JOHANNÆ PEINIÆ,

VRATISLAVIÆ IV. KAL. XBREIS A. C. MDCC LII
SOLEMNI RITU CELEBRATIS;

EX DEBITO PIETATIS OFFICIO CONCEPTA ET OBLATA 2
A CHRISTOPH. COLERO.

OLSNÆ SILES. ex Officinâ Typogr. JOHANN-SEYFFERTI.

VIRO CONSUMMATISSIMO
NICOLAO HENELIO JC.

S. P. D.

Anniversarios magnorum virorum Natales, & votis nuncupatis, & memorabilibus donariis transmissis, olim fuisse celebratos & consecratos, tu ipse, antiquitatis Græca pariter & Romana, Gentilis & Christiana, peritissime, NICOLAE HENELI, me non monente, omnium optimè scis. Quare & ego, ex præscripto ritu, & more jam ab aliquot annorum vicibus recepto, III. Auspicalis mensis Januarii Eidus, Diem, Diva Honorata Memoria sacrum, celebravi, & hodie Heptachordon, ut sic dicam, Decadam, ac Natalem tuum LXXI. tecum

— — numero meliore lapillo;
non lacte, aut pulve stillâ, neq; expio vernis
Floribus, aut vino, Genium memorem brevis ævi:
Sed reus vota solvo; atq; loco annalis & natalis muneris,
istud quaecumq; chartaceum, Votivam nempe Acclamationem, super familiari Hilariorum tuorum festo, id est, Gaudio, ex Auspicalis Filii tui CHRISTIANI FRIDERICI unici & unice amati, & ANNE JOHANNÆ PENNÆ, ante sesquimenssem celebratis Nuptiis, concepto, Tibi L. M. Q. offero. Te enim, ut inestimabilis virtutis divitem, munera ex auro & argento facta, quæ tanquam blandimenta fortuna & crepundia Sapientes spernunt, quibus & ego libenter careo; sed potius à Mus

A 2

sis



545938

sis & Pallade parata & ornata, ac victura, capiunt. Gaudium enim illud tuum festivum; ut temporarium, fluxum & periturum, cum omnibus oblatiis donariis, esset, nisi illud in Templo Divæ Minervæ suspensum, posteritati reservatum esset. Si qui erunt obliqui, & in alienis scriptis nimis ingeniosi, qui hoc desultorium scriptationis & prædicationis genus, tanto viro indignum, & Nomini Heneliano impar esse, cavillaturi sunt: illis re-gero, me non totum HENELIUM hoc loco exprimendum [quem magis serio & altiori in posterum cura elaborandum sepono] in manus sumsisse, sed flores tantum ad contextendum Heneliano honori fertum contulisse. Imperitorum ceteroquin inepta iudicia, aut malignorum convicia, ut venti spolia & quisquiliæ, floccifacio, unice confidens & securus, quod

nec Phœbo gratior ulla est,

Quam sibi quæ GALLI præscripsit pagina nomen.

Quo quasi amuleto appenso præmunitus, virulenta malarum linguarum fascina longè à me amoliar. Vale,

O & prælidium, & dulce decus meum.


Scrib. Vratislav. ipso Natali tuo anniversario LXXI.

HENELIANO NOMINI,
ET NUMINI APOLLINARI

devotissimus

CHRISTOPH. COLERUS.

Home-



Homerus, fons ille ingeniorum inexhaustus, & unicus ac unus omnis poëtos Apollo, inter alia cœlestia & divina rerum inventa, admodum scitus & peritus, in falsis & lepidis effingendis & contextendis fabulis fuit, ut vel hoc solo artificio solus Poëta, omnium Seculorum & Gentium consensu, appellari meruerit. Inter alia verò figmenta & commenta innumera, hoc palmam Musicam, meo quidem iudicio, cæteris præripere videtur, quod in perfectissimo suo Opere, alicubi fingat, Jovem, illum supremum Deorum hominumque Parentem & Rectorem creditum; in duobus doliis masas sortium humanarum reconditas habere; in altero nempe semina lætitiæ, gaudii, risus & bonorum; in altero tristiæ, luctus, fletus, & malorum; & ubi ipsi collibitum, res humanas utrobique, adversas cum secundis, secundas cum adversis, retrò citroque miscere, & variare: & per fata, fortunam, Parcasque miscellanea illa perpesicio mortalium generi immittere. De fati certè Papinius, secundus ille à Rege Latinorum Poëtarum disertè cecinit:

Pondus adest verbis, & vocem fata sequuntur.

Hoc est, Jovis Opt. Max. imperata faciunt, & genti humanæ per vices, bona mala, læta tristia, annunciant. Unde Romanorum sapientissimus, ex communi gentilitatis errore & morbo, palam pronuntiavit: *Neminem fata dimittunt illesum.* De Parcais, Deabus illis feralibus, ac creditis vitæ humanæ præsidibus, solemnibus Mercurii & Philologiæ Nuptiarum Scriptor hoc commentus est: *Clotho, Lachesis, & Atropos, sententiam Jovis, Orthographæ studio veritatis excipiunt, utpote librariæ Superum, Archivique custodes.* De Reginâ ac Domina

minâ rerum omnium (sic Pagana Antiquitas eam vocare solebat)
Rudius ille Tripectorus ita cecinit :

Hautqvaqvam qvenqvam semper For-
tuna secuta est.

In eandem sententiam doctissimus Romanorum Togatorum abi-
ens, proditum reliquit :

Fortuna nulli currum missum à carcere intimo

Labi inoffensum per æquor ad candidum calcem finit.

Verùm apage Tu Jupiter fictitie Deaster, apagite vos commen-
titia fata, apagite vos mendaces Parcæ, apage tu fallax & falsa For-
tuna; falsò credita Væjovis illius ministeria & satellitia, vana im-
piorum poëtarum somnia & deliramenta. Nos Christiani veriora
& meliora edocti Deo uni, vero, & æterno, unicè sortes nostras
adscribimus, & per fata divinam providentiam, per fortunam di-
vinam voluntatem, per parcas, nihil aliud, quàm à Deo mala
subtextâ bonis, & bona subtextâ malis, nobis divinitus immisâ,
saniter intelligimus & catò interpretamur. Hæc enim commu-
nis mortalium conditio has gratas & ingratas vicissitudines sperat
& metuit, ut ex adversis secunda, & secunda ex adversis, subor-
nata, alterentur & alternentur: quorum tamen semina, Deus uni-
cus ille omnium eventuum sator & stator, utrinq; præ humanis
oculis & animis occultat, & plerumq; utrorumq; causas sub di-
versâ specie vult patere. Exempla ex omni ævo, ex omni popu-
lo, ex omni religione & professione, principum, & sapientum
Virorum, obvia hic in apricum producerem, nisi studio placendi
brevior, quàm fustior, pro ratione festi habendâ, esse mallet; ac
nisi Tu, NICOLAE HENELI, vir consummatissime, tanquam So-
crates Christianus, & Nestor eloquentissimus & gravissimus, mi-
hi omnium dicendorum fidem facturum, exemplo tuo omnium in-
star occurreres, & meæ scripturienti manui manum injiceres. Jam
annus integer, & insuper propè semestre anni spatium præterit,
ex quo Tu, amœnissimi ingenij & lætissimi animi puellulam CU-
NIGUN-

NIGUNDAM VERONICAM, (quam Tibi ANNA MARIA, ex nobilissimâ jam pridem apud Pannonos, tandemq; Patritiâ hu-
jus Urbis familiâ JESSENIORUM à JESSEN oriunda matrona, omnium muliebrium virtutum ornamentis splendi-
dissima, pepererat) quæ solatium ac subsidium senectuti tuæ, ac fu-
tura imbecillitati bacillus futura erat, unicum domi delictum, nunc
perpetuum desiderium; (quæ præcoci & crudo fato, ut herba sol-
stitialis intempestivius præcepta, heu emarcuit!) vix sexennem a-
mifisti. Quo intestino ac domestico vulnere non mediocriter ictus,
dolorem tuum mutuum, & lacrimas elingues esse noluisse, sed
affectum tuum paternum peculiari throno publicè attestari volu-
isti. Sic enim, penitus concusse senex, tanquam effectus, enervis,
& tui superstes, ac orbis Cygnus, Cygneâ ista quasi Cantione, non
tam Tuæ illi desideratissimæ Filiolæ parentandum, quàm tuo tu-
neri præcantandum censuisti:

KUNGUNDA ò VERONICA, ò unica, & unicè amata,

Quid loquar? aut quærar, ò? Tu Patris amabile Corclum.

Delictum fide, Spes, curaq; maxima Matris,

Tu thesaurus eras, & delectatio nostra,

Tu rosa, tu sidus nostrum, tu gemma decusq;.

Omnia eras, inquam, hæc, dum Fata Deusq; sinebant:

Omnia quæ jam nunc in te deperdita nobis.

Et paulò post nefastum illum tibi, & funestum diem, & Augustum
mensẽ tibi angustum & acerbum, his flebilibus modis detesta-
tus es:

Sexta & dena dies Septembreis ante Kalendas,

Ille adferre isthac visa infortunia nobis:

Ausa est illa meâ heu! me despoliare puellâ.

O funesta atq; atra dies, mibi semper acerba!

O mensis minimè augustus! mibi semper acerbus!

Et quæ alia, turturis instar gemens, moestissimus Pater, cum moe-
stissima tua Caja quiritari solebas. Sed licet per tam acerbâ &
aspera

aspera jactatus, ac calamitate illâ privatâ adeo prostratus fueris,
tamen cum casum non ambitiosè pro Stoicæ pertinaciæ ostenta-
tione, neq; lamentis muliebribus molliter tulisti: sed ut virum for-
tem, Sapientem, & perpersicium Christianum Socratem decet, æquo
animo, in spe, expectatione & fiducia; à Deo tibi hæc tela infi-
gi, & plagam illam inflictam ab eodem illo sanari, aut mitigari.
Ac in decenti & Christiano luctu, publicè rei communis Curæ
& occupationes, domi suavissima Conjux JESSENIA, indisso-
lubilis aduersorum pariter & secundorum socia & comes, & oble-
scibile illud tibi relictum, ex nobilissimâ ANNA BARTISIA,
feminâ, dum viveret, optima amabilissimâq; pignus, unus &
unicus tuis in oculis oculus, filius, paterni ingenii & virtutum
hæres, inter allevamenta & lenimenta, ac remedia erant. At hoc
mihi singulare Sapientis visum est facinus, quòd inter tot Sanctissi-
mi gravissimiq; Senatûs, & Amicorum collugentium Alloquia,
nullum tuo exulcerato animo præsentius & efficacius emplastrum
adhibitum fuerit, quàm cum Tu te ipse sic allocutus es:

Sed quid ego incassum loquor ista? quid ista quiritor?

Quid miser ô facio? Lugeri posse suorum

Funera qui didici divino ex Codice: sed non

Gentiles ut amant, quævis spes à funere nulla est:

Quis, adeo fieri reduces in corpora posse

Ignorant animas. Adfectus nempe Sophia

Enthea non tollit penitus damnatq; paternos.

Accedat talis modo si moderatio, recta

Quam Ratio, imprimisq; Fides Christiana requirit.

Talis nulla Dea est, cui jura adamantina consent

In vitas hominum. DEUS est, DEUS ille deorum,

Cujus ab arbitrio vita stat summa caditq;:

Qui mihi, quam dederat subolem, mox abstulit idem

Jure suo: fuerit quamvis mea magna voluptas.

A DO-

A DOMINO factum est oculis miserabile nostris!

Mitto queri, perpersiciumq; sodalis Hiobi

Esse volo; Domini benedictum in secula nomen!

Tandem Cygneam tuam Cantilenam solemni isto Ultimo Vale ita
obsignasti:

Salve anima, ô Chara, æthereis nunc addita Divis:

Atq; DEO, atq; DEI cæles gratisima Nato.

*Salve & habe, donec te alacres, mea nata, sequamur,
CLUNGUNDA ô VERONICA! jam sancta atq; beata!*

Ipsa hæc tua Christiana Patientia & Constantia fuit causa, (licet
tantus casus quemvis immotum alioquin & inconcussum animum
de firmitudinis gradu deturbare possit) quare tuam summam sapi-
entiam & fortitudinem veritus, cautiùs officio illo pietatis, verbosæ
magis ac operosæ, abstinere, quàm præstando deficere, maluerim;
sed si quid ex lege clientelæ Patrono præstandum foret, tam invi-
cti animi magnitudini gratulandi potiùs partes, quàm otiosè conso-
landi suscipiendas esse duxi. At cum jam post nubila Phœbus reful-
geat, & post mororem illum & squalorem, jucundissimum tibi
gaudium, de auspiciatissimo, (ut omnis piè & benevolè auguramur)
Conjugio ineundo, Nobilissimi florentissimiq; tui filii, CHRISTI-
ANI FRIDERICI, cum antiq; nobilitatis ac virtutis Virgine
ANNA JOHANNA PEINIA, ortum sit; religioni mihi fore
dux, nisi diuturni hujus, imò perpetui silentii claustra & septa,
ut ita dicam, rumperem. Jam enim signum bonæ Spei à Deo su-
stollicur, qui quò majorem antea tibi dolorem & angorem, de ja-
cturâ amabilissimæ, dum fuit, filiolæ tuæ, excitavit: eò majorem
nunc lætitiâ, tamdiu sopitam, in animo tuo reforescitavit, adeo
ut jam firmiter credas omnium rerum esse viçes, & vertilem orbem
ac adversa secundorum eventu pensari. Quemadmodum cæli
marisq; temperiem turbines tempestatesq; præviæ commendant;
ita ad augendam & planè illustrandam recens-exorti gaudii gra-
tiam & serenitatem, illam domûs cladem, luctum & squalorem
præcef-

B

præcessisse, existimo. Nam insperata hæc & inopinata hilaritas de optatissimo hoc eventu, à prioris acoris & amaroris sensu, dulcorem & gratum saporem gratâ vice percipit. Ut etiam bona valetudo longè jucundior est iis, qui è gravi & propè lethali morbo recreati, & quasi ab Orco resuscitati sunt; quàm illis, qui nunquam ægroto corpore decubuerunt: sic illa omnia desiderata magis, quàm continuè percepta, efficacius te afficiunt & oblectant. Quia verò nullus gravitatem, pondus, & efficaciam dulcissimi tui gaudii, exactè percipiet, nisi prius causam, tanti boni semina, & radices diligenter inquisierit, & exquisitè easdem perpenderit; pace tuâ & indulgentiâ, VIR CONSUMMATISSIME, Patrone incomparabilis, digito, pro festivitatis illius ratione, saltuatim & summatim, ad fontes ejus rei intendam. Hic itaq; Sermo desultorius tuo Gaudio, & conjugalium Candidatorum honori destinatus, professione officiosæ pietatis, nisi plenè & planè approbatus fuerit; tamen auctoritate vestrâ interpositâ, apud æquos Lectores, & benevolos ex conscientia rectè factorum arbitros, erit excusatus. Ut autem caput rei attingamus, illiusq; gaudii fontem, quantum quidem pro tenuitate ingenii nostri fieri potest, aperiamus, cardo negotii, in similitudine sanguinis, morum, studiorum, vitæ publicè privatimq; civiliter & moraliter institutæ, instituendæq; ac conjugalis societatis æqualitate & æquabilitate, vertitur. Nam vel pueris nota illa tristissima & vulgatissima: *Simile gaudet Simili: Pares cum Paribus facile congregantur: Simile Simili naturâ cognatum: In alio sua quemq; natura delectat.* Ac in omnibus iis, quæ inter se quidem differunt, convenientia quædam est, ac similitudo. Nulla verò æquivalentior congruentia est, quàm similitudo Parentum & Liberorum mutua & reciproca, majorum & posterorum justâ serie ascendentium & descendentium. Eapropter rectè Alcraus ille Musarum alumnus cecinit:

Pariunt mulieres similes Parentibus Liberos.

Natura

Natura quidem sui partus amans est, & illius magistræ ductu Parentes plerumq; magis Liberos suos, maximè filios, quàm semet ipsos diligere solent: sed præcipuè ipsis similiores, sunt idèo chariores & dulciores. Idem tenerrimi tui in Filium tibi simillimum amoris & favoris argumentum & momentum est. Nam si in alio nos nostra natura & aliqua morum similitudo delectat, quanto magis liberorum? Tuum itaq; tanquam effigiem & imaginem Tui, spem & columnam Domus Heleniæ unicam, monumentum nominis tui, ac unicum, ut paternarum olim facultatum, ita & Virtutum hæredem foves, & amore ineffabili amplecteris. Ut enim Unoculus unius & unicus superstitis oculi sui majorem habet rationem, incolumemq; illum frequentius emundat & absterget: ita quoq; Tu, (qui quidem non unam tantum sobolem genuisti, sed unicum tantum hunc filium superstitem habes) peculiari cum & plusquam paterno affectu prosequi soles. Ut autem hæc hæreditaria similitudo evidentiùs appareat, in tenui quodam Minervæ Peplo, nonnullos Majorum vestrorum quasi intextos textili vento, oculis tuis ad usurpandum, & Sponsis ad intuentum & contemplandum, proponam. Nam omnes huc coactos depromere, & caligo priorum temporum negligentiorum, ac ratio brevitatis promissæ habenda non permittit. Memorabile & mirabile est, quod candidissimus & emendatissimus Scriptor in Galba proditum reliquit. *Livia nimirum olim post Augusti statim nuptias Vojentanum suum revisenti, prætervolans Aquila, Gallinam Albam ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium: cumq; nutriti alitem, pangiq; ramulum placuisset, tanta pullo- rum soboles* (& quidem auctore Dione, ejusdem cum illâ coloris & formæ) *provenit, ut hodiè quoq; (Tranquilli ætate) ea villa ad Gallinas vocetur.* Simile quoddam augurium (si Christianis ita conjectare licet) primigenio vestrorum Majorum Progenitori accidisse mihi videtur, quod in antiquo illo & fortunatissimo

B 7

dillimo

disimo *Gallinarum Campo tot. Alba Gallina filii* prognati
 ad tam seram posteritatem descendunt, & (ut omnes boni ex
 animo vovemus & comprecamur) in scripsimam porro propagi-
 nem descenduri sint. Imitabor autem hic ignotos in aliquo mari
 nauas, qui, ne ludibrium sunt ventis, aut naufragium incaute faci-
 ant, ad tranquilliora & tutiora littora sese recipiunt: ita ego igno-
 tior paullo in GENEALOGIA HENELIORUM priscorum, circa
 propinquiores Majores me continebo, ne extra lineas aberrans,
 magnis ausibus turpiter excidam. Familiam itaq; in Henelianâ
 familiâ duxerit STEPHANUS de Wogstat cognominatus; Vir
 antiquæ fidei & virtutis, qui ex nimia illorum temporum credu-
 litate, ac pietate persuasâ, pro fortunarum suarum consu, sponta-
 neo motu, demensum quoddam tributum, ad bellum, dontra ju-
 ratum Christiani nominis hostem, gerendum obtulit: atq; hac pia
 liberalitate à Pontificis Romani Legato, quem vocant, à Latere,
 five nuncio Apostolico, veniam & oblivionem peccatorum omni-
 um, quam antiquitus recepto vocabulo INDULGENTIAS nun-
 cupant, A. C. CIO CCOC XC. ut ex literis adhuc extantibus
 patet, impetravit. Filium is habuit PETRUM, quem patri de
 Wogstat cognomine usum, inter cætera pietatis officia, in hac
 ipsa Urbe, testamento, coram Amplissimi Ordinis Delegatis,
 WENCESLAO HÖRNIGIO, & ALBERTO SAUROMANNO, Senatori-
 bus, ut & BONAVENTURA RÖSLERO Notarii vices obeunte, men-
 se Septembri A. C. CIO IO XXXIV. condito, fratres suos SIMO-
 NEM & NICOLAUM, hæredes instituisse, ex Archivis Reip. com-
 pertum habemus. NICOLAUS filius fuit avo suo homo-
 nymus, Oppavia natus, qui in Orthodoxum seculum delatus, Tra-
 ditionibus procul habitis, in puritate & veritate verbi divini, cujus
 arcana mysteria, quantum homini cognoscere licitum est, rimari
 & scrutari solitus, unice acquievit. Vir certè eloquens, nec mi-
 nis, quam Apollo ille potens in scripturis: & qui quâ erat pietate,
 minimè fucata, semetipsum per omnia præberet exemplar bono-
 rum operum. Avus hic fuit Sponsi paternus, qui ductâ ANNA
 Conjuge,

Conjuge, ex honorata, apud superioris præsertim Silesiæ Neapolita-
 nos, & ab ipsis Ducibus olim Oppolienibus in præcio habetâ KÜN-
 NIORUM (CUNÆLOS appellare liceat,) stirpe oriundâ, præter decem
 alios utriusq; sexus liberos, & in his tres filios, THEOPHILUM,
 STEPHANUM, atq; NICODEMUM, erudite doctrinæ Trigam;
 Te, NICOLAUS HENELI, Vir Summe, illustre & æternum Si-
 lesiæ nostræ fides; impo totius Germaniæ, ac singulare seculi hujus
 ornamentum, tantum Orbi pignus dedit. Quemadmodum verò
 antiqui magnos Viros, Semones ac Heröes, Reip. bono natos, cæ-
 lo demissos aut delapsos, & Deorum munere sibi datos esse crede-
 bant: ita omnes boni & grati patriæ Cives, III. Auspicalis mensis
 Januarii EIDUS, Diem Divæ HONORATÆ festo sacrum reli-
 giosè celebrant; quod DEUS omnis boni dator & largitor, univer-
 salitè Patriæ Honoratum id cæli Depositu, perennis quasi Stre-
 nx loco donatum, tam diu fruendum concesserit. Si enim beati
 sunt censendi ij, qui aut faciunt, aut scribunt præclara & victura,
 beatissimus certè Tu es omnium, qui utrumq; præstando, & in ne-
 gociis Reip. expeditis, & in ocio sapientis, interdum remissus,
 consenuisti. Quis Duumviris illis Impp. Augustissimis FERDINAN-
 DIS, Divo II. & Optimo Gloriosissimoq; III. plus eo placuit, ut il-
 lum pro virtutis merito, Insignibus Gentilitiis innovatis & auctis,
 Titulis ac prærogativis Consilarii sui, honorarint, ornârint? HENE-
 LIUS. Quis ab Illustrissimis Patriæ Principibus & Præceribus, ac no-
 minatim à Summæ Præfecturæ Provincialis Administratore, Mon-
 sterbergiaco Ducatu, ac Metropoli Silesiæ nostræ, omnibus aliis
 prælatus fuerit, ut CONSILIARIUM, PRO-CANCELLARIUM, ac
 SYNDICUM suum delegerint & assumerint? HENELIUS. Quis
 Prædecessoribus suis omnibus par, plerisq; superior, successoribus
 suis ad imitandum & exprimendum, ambidextrâ illâ & agendi &
 scribendi felicitate onerosior? HENELIUS. De quo debitis lau-
 dibus ornando, idem censeo, quod florentissimus rerum Romanarum
 Scriptor de Carthagine: *Melius esse planè silere, quam
 pauca dicere.* De hac felici nascendi sorte & similitudine me-
 ritò Tibi gaudium illud intestinum gratulor, Tuoq; Filio eandem
 B 3 condi-

conditionem congratulor. Sed cum ad perfectam generis similitudinem, jure merito materna etiam nobilitas requiratur, quæ paternæ multum decoris & gloriæ addit; mater num BARTISIORUM de Zweybrot genus, eandem Filio tuo dignitatem adstruit, quam paternum. Mater enim illius nobilissima, ac matronalium virtutum ornamentis conspicua mulier, ANNA, Viri nobilissimi amplissimiq; MARTINI BARTISII, IV. Imp. Cæs. Augg. Maximiliani II. Rudolphi II. Matthiæ, & Ferdinandi II. fidelissimi, propè ad LX. annos Ministri, quam ex Equestri PFÖRTNERORUM familiâ natâ Matre, MAGDALENA suscepit, simillima Filia exstitit. Hoc verò maximè notabile est, quòd BARTISIUS ille, emeritus Senex, duobus istis præfidiis Patientiæ & Cautelâ suffultus, rarissimam in Ministerio suo tam diuturno, Senectutem cum pari Augustali Gratiâ fortitus, tandem animam suam, & de Summis Principibus suis, & de Patriâ simul, bene meritam, DEO vitæ & mortis Domino, Octogenarius, effectus & enervis, lubens resignaverit. Grande sanè piaculum esset, nisi Filii tui Proavus maternus, antiqva nobilitatis cum pari amplitudine Vir, PAULUS PFÖRTNERUS von der Hölle/ in Wistenrodi, Zweybrot, Tunckindorff & Pültzen, nominaretur. Nec minùs nefas foret, si eminentissimum gentilium Virorum Par; Abavus Filii tui maternus, NICOLAUS JENCKWITZIUS, Vratislaviensis Ducatus Præfectus, & Præses Senatus Urbani; atq; Proavæ maternæ Frater, ABRAHAMUS JENCKWITZIUS, ejusdè dignitatis amplissimæ officio functus, ambo de patriâ præclarè suæ ætate meriti, indictum abiret. Verùm licet Diræus ille Qlor splendorem natalium, ac præclara Majorum gesta, AUREUM FUNDAMENTUM appellet; tamen id ipsum speciosum magis quàm preciosum, ac lubricum & caducum est, solâ Majorum suorum niti gloriâ. Quamobrem, Optime Pater, ut tuo Filio hac in parte plenius prospiceretur, tuâ providentiâ & diligenti educatione, ac procuratâ fideli institutione, tam per publicos, quàm privatos Præceptores, in Prytanco bonarum Mentium Magdalenzo nostro, in studiis Humanitatis, quibus pueritia adolescentiaq; ad Academiæ graviora excoli solet, ille

ille Musarum pullus non mediocriter præcultus & præparatus est. Ex patrio itaq; Gymnasio, tanquam novus Colonus, in celebrem Militiæ Palladiæ & Togaræ Coloniam, Academiam Noricam, Altorfii in municipio constitutam, à Divis Imp. Maximiliano II. privilegiis fundatam, Ferdinando II. auctam & locupletatam, dato ipsi, à moribus & studiis præcognito, socio ac Contubernale, & itinerum comite perpetuo, SIGISMUNDO REINHARDO PEINIO, studiorum vitæ maturandorum causâ, amandavit. In quâ celeberrimâ ingeniorum & studiorum Officinâ, & Bonæ Mentis Palæstrâ, consanguineis quasi Eloquentiæ, Philosophiæ Practicæ, Jurisq; ac destinatis Reip. hominibus, utilibus & necessariis Disciplinis, sedulam cum illo sodali suo operam dedit, ac specimina profectuum suorum non contemnenda edidit. Ab hac Academiâ jussu tuo Lipsiam, in celeberrimum illud non tam mercium exoticarum, quàm inestimabilium doctrinarum Emporium & mercatum concessit; ibiq; non sine fructu per aliquod tempus commoratus est. Hinc cum illa vitæ studia utili peregrinatione, tuo exemplo paterno potissimum adductus, confirmare ac illustrare illi, Tibiq; visum esset, cum fido illo & individuo Achate, (licet invitus in Carinthiâ, propinquâ Italiæ, Austriacæ ditionis provinciâ, paulò diutius ob causas, quas domi nosti, subsisteret) tamen expeditis demùm negotiis, postcâ sat citò, cum sat benè, faustum pedem suum in Italiam, terrarum pulcherrimam, protulit, ac superatis Alpibus ex voto Gemellum Par Baronum generosissimorum Fratrum SKRINECCIORUM, & nobilissimum SCHMIDIORUM, Fratrum, Patritiorum nostratium, fortuna Comite Viali, Divâ planè faustâ, offendit; qui prævio suo studiorum & morum Rectore ac Ephoro CHRISTOPHORO CERVINO, cheu præcoce fato præmessio! illum Orbis Paradisum oculis animisq; certatim pellustrare advolarant. Cum quibus Theseus Henelius, cum Pirithoo suo Peinio, conjunctim sociato (quibus oportunè accessere Generosissimi Barones REDERI, qui cum universis his peregrinantibus magnam itinerum partem itidem emensi sunt) potiores Italiæ provincias, Status, & Urbes visitarunt. His ad satietatem per-

perlustratis, florentissimum tum Galliae Regnum, & maximam Belgii Regii & Foederati partem, non sine uberrimo triplicis utilitatis, scientiae, prudentiae, morumque fructu, peragrarunt. Cum enim Tibi, ut praefinitus peregrinationis usus, ita quoque circumscriptus peregrinandi modus placuit, jussu tuo, instar navis alicujus, raris & caris mercibus oneratae, preciosis bonae mentis quasi gemmis & unionibus dotatus & ditatus, tempestive domum, cum Achate suo probatissimo, reversus est. Quemadmodum enim olitorum res novellas stirpes & surculos, e natali suo solo in aliud, opinione sua felicius & feracius, transferre solent, ut latius laetiusque exinde crescant & efflorescant: sic tu, providentissime Parens, filium tuum nequaquam genitalem solo, ut domiportam Cochleam, affixum esse, & sterilem passus es; sed in aliud atque aliud sub sole solum mittere voluisti, ut aliunde doctrinae & virtutis civilis robur ac incrementum sumeret. Justo autem tempore illum ab itineribus in patriam, cui omnia, quaecumque; audiendo & videndo imbibisset, deberet, revocasti. Nam sicut ij, qui ignem usui suo alienum petunt, non illic diu subsistunt, sed accensum domi suae inferunt: sic tu consultum censes, scintillas & fomites Virtutis & Prudentiae, apud cultiores exterarum gentes quaerere; domi deinde accendere, sibi aliisque praecipue Reipublicae allucere. Quia vero omnia studia nostra, & actiones ad certum quoddam vitae genus, tanquam defixum scopum, sunt dirigendae, reducis filii tui inclinationem & animi intentionem, praevio quodam examine, explorare voluisti, ac cum diligenti observatione deprehenderes, illum ad vitam rusticam, veterem innocentiae magistram, & utilissimi Rei Rusticae doctoris Columellae judicio, *proximam, & quasi consanguineam sapientiae*, inclinare; voto illius & desiderio cum ratione annuens, CURTICIANUM illud, in Diocesi ditionis Breganae Nimicensi situm praedium, & amoenissimum secessum comparasti, ut ibi in negotio privato, ac exoptato Sapientis otio, exemplo Principum virorum, & Philosophorum in agellis suis delicias, sua forte contentus, honeste & decore viveret. Sed cum, judicio maximi Philosophorum Peripateticorum,

rum, societatum prima sit domestica; & recte utilissimus ad vitam moralem, civilem, & familiarem dux & auctor Hesiodus praecipiat:

Sit domus in primis, Uxorque, & Taurus arator;

de gente & mente sibi simillima, fida tori consorte, tuus Filius non ita pridem cogitare cepit, ubi praeter aliis florentissimam genere, atque, forma, ac virtutibus nobili virgine dignis praecellentem, ANNAM JOHANNAM PEINIAM, sibi matrimonio conjungendam delegit. Pater Viragini illi obtigit, Magnus & inclitus Heros, JOHANNES PEINIUS Togatorum Silesiae summus, ac Consiliarius Magnorum Caesarum FERDINANDORUM II, & III. splendidissimus; Ducatus Vratislaviensis Cancellarius, & Urbis Metropolitanae Syndicus, optime meritus; in Augustae Caesaris Regia saepe Legatus, moribus ad Aulas & Curias natus, & crebris actionibus affabre factus, gravis vultu & ore Nestor, ac summam auctoritatem praeditus, comis & humanus, sed incorrupto publicae personae honore & dignitate, adeo ut omnes pariter eum diligenter & vererentur. Mater autem Sponsae fuit ex antiqua & celebri HEIDECORUM familia oriunda, eximia ut gentis, ita & mentis prerogativa matrona, quae charissimo suo Marito utriusque sexus pignora, & monumenta domus peperit. Avum Sponsae paternum, JOHANNEM PEINIUM, nomine Eminentissimi Septemviri Electoris Moguntini, Gleichensteinensis, & Kirchfeldensis Diocesis Praefectum fuisse constat. Quid de Avia Sponsae paternae, BEATA KEULIA, MARCI KEULII, Generis sui, in Officio illo Moguntinae Praefecturae eodem, Antecessoris Filia, quae posteris suis in exemplum Sanctimoniae & castimoniae documentis prostat, dicam? Quid de Avia Sponsae Patris paternae, optimae faminae, nomine BARBARA, quae ex WEHRIORUM: materiam vero, ex KATZWINCKELIORUM, vetustis & nobilissimis familiis, progenitae fuerunt, commemorabo? Nec tantum Sponsa PEINIA lineam ascendenti, sed etiam collateralis, agnatis majorum gentium; nec tam patriam, quam etiam patruam virtute & honore praecellit. Nam proavi paterni frater JOHANNES PEINIUS, Brunovicensium Ducum Consiliarius & Cancellarius, ab ipso etiam Carolo

C

V. Imp.

V. Imp. in precio & honore, meritisimo suo, habitus est. Patruus verò MARCUS PEINIUS, in Gespitroda Coburgo-Saxonicus, ut & Höenloicus atq; Gleichensis Conſiliarius, nec non Cancellarius Ortufrius, fide & prudentia ſingulari probatus, emittit. Ex hac hiftoricâ PEINIORVM narratione manifeſtè liquet, hanc familiam Reip. moderandæ, Aulis & Curiis præſidendis à tot annis eſſe natam. Unde quod olim de Conſulari Metellorum Clariffimorum Gente Nævius vetus Poëta pronunciauit:

Fato Metelli Romæ fiunt Conſules;

idem de PEINIA Gente affirmare paulò mutatis verbis non dubito:

Fato fuere Principum PEINI viri.

Quantum verò dignitatis, quantum auctoritatis afferat, in culmine rerum ſtare, Romanæ lyræ primus & ſolus fidicen, hoc verſiculo atteſtatus eſt:

Principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt.

Et alius in cothurno ſublimis & elegans:

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros.

Ex hac propoſitâ utriusq; familiæ comparatione liquidò patet, nec lac lacti, nec ovum ovo, nivem nivi, roſam roſæ, & lilium lilio, tam ſimilia eſſe, quàm HENELIOS PEINIIS, & PEINIOS HENELIIS. Ut verò ob ſimilitudinem generis, dignationis & amplitudinis: ita etiam corporis, animi, ingenii, & mutui amoris fore auſpicatiſſimum hoc Conjugium, ego Poëta verbis,

Et reor, & ſi quid veri mens augurat, opto!

Si enim ad externas corporis dotes reſpiciamus, quod in Convivali Græcorum veterum Scolio cani ſolitum, & divino Platoni ipſi approbatum; primum nempe felicitatis humanæ requiſitum eſſe; *ſanum & incolumem conſiſtere*: ſecundum; *pulchrum & formoſum eſſe*: tertium autem, abſq; dolo divitem & opulentum eſſe, ambo certè in æquilíbrio poſiti æquipollent. Nam tuus Filius, Vir ampliffime, bonâ ætate & formâ florens, robuſtus toris & læcertis, ac valetudine firmâ juvenis: Sponſa autem, futura Nurus tua, pro ſexu ſuo, Peiniane gentis habitu & ſtatu eſt grandior & eminentior, ac conſtitutionis corporeæ firmioris & ſanioris. Ut
Spon-

Sponſus ætate & formâ virili, quàm magnus ille Tullius DIGNITATEM appellat; ita PEINIA Virago iisdem dotibus, præcipuè copulchritudinis genere, quàm idem magnus Orator & Philoſophus VENUSTATEM interpretatur, multis ſui generis & fortis nymphis palmam præripit. Quamobrem hæc forma, inſtar magnetis, occulta naturalis inclinationis vi, ferrum trahentis, aliſſimo aspectu amorem & benevolentiam Filii tui in illam excitavit: adeò ut Carneadis Philoſophi iudicio fuerit illa blandiſſima, ſed honeſtiſſima lena, apud illum REGNUM SINE SATELLITIO, aut armatâ militiæ manu; quia quicquid fieri volebat, citra omnem violentiam, hæc Suada, hæc Gratia, ac hæc Venus ipſa perſuadere Viſa eſt. Si verò animi ingeniiq; bona in utroq; amante ſpectemus, ambo Sponſi amicum blandumq; certamen mutuò inſtituunt. Ut tuus ille Filius, ſtudiorum civilium culturâ, profectu civilis prudentiæ, animi præſentiâ, ac inſigni colligendæ benevolentiæ, apud ſuperiores, pares, & inferiores, intra decori tamen limites exercito, artificio præſtat: ita illius unica Spes & Cura, pietatis, probitatis, modeſtiæ, verecundiæ, pudicitiaq; exercitio, ac liberali & Palladio laborandi & operandi ſtudio, rei familiaris peritiâ, communi famâ teſte, ultrâ ſexum propè ſuum præcellit. Ac ut, præterito reliquarum virtutum virginalium choro, de ſolâ Oeconomîâ & curâ domesticæ rei, quæ Cajabus ejuſmodi propria eſſe debet, breviter aliquid commemorem; obſervatu digna ſunt Præcepta illa Oeconomica, quæ Apis illa Attica in Oeconomico ſuo habet & ex eo Cicero & Columella excerpta tradiderunt: quorum hic ita diſſerit: *Olim apud Græcos & Romanos, ferè domesticus labor matronalis fuit, tanquam ad requiem forenſium exercitationum, omni curâ depoſitâ, Patribus familiâs intra domesticos penates ſe recipientibus. Erat enim ſumma reverentia cum concordia & diligentia miſta, flagrabatq; mulier pulcherrima diligentia emulatione, ſtudentis viri curâ ſuâ majora, atq; meliora reddere. Nihil conſpiciebatur in domo dividuum. Nihil quod*

aut maritus, aut femina proprium esse juris sui diceret, sed in commune conspirabatur ab utroq, ut cum forensibus negotiis, matronalis sedulitas industrie rationem parem faceret. Quod si Agrestis illius Sapientis, Monita hæc Oeconomica, hodiè nostri Patres, & imprimis nostræ Matresfamilias sequerentur, & re ipsâ exsequerentur, sanè familiis ipsorum & rebus familiaribus melius consultum esset. Quapropter si Sponsus imitabitur veteres illos, diligentes industriosq; Romanorum Dictatores, ab aratro venientes, Consules & Patritios viros aratro innixos, ac triumphales Agricolas: qui à Dictaturâ, Consulatu, bellicâ expeditione, ad suos agellos, suas oves, & suos boves, ac reliqua opera rustica, redierunt: si Sponsa, exemplo matrumfamilias & Romanarum priscarum, & Sabinarum, pulcherrimâ diligentia maritalis æmulatione, cum Viro suo amicum & blandum laboris certamen inibit, profectò mutua illa operarum domesticarum conspiratio Tibi, Pater indulgentissime, multum gaudii & lætitiæ in animo tuo excitabit. Similes etiam ambo Sponsi esse possunt, quòd paternarum opum & facultatum partim jam capaces sint, partim in posterum habiles futuri sint hæredes earundem, quæ non dolo aut fallaciis, sed multis vigiliis, laboribus & sudoribus pro patriâ exantlatis partæ, aut in præmia collatæ sunt: atq; insuper à providentissimis Parentibus suis verum opum usum didicerint, & suâ sorte posse contentos esse imbiberint. Quamquam utrorumq; Parentum fortunæ, quæ temporum, quæ hominum injuriâ, haut parùm acciæ sint: sed si Conjugati Symboli loco illud saluberrimum Emblema ORA ET LABORA continuè in ore & corde gesserint, & pro virili suâ, ipso Opere expresserint, consili divinx benedictioni, semper habebunt, quo acquiescant. Deniq; potissimum, ambo illi Conjugalis amoris Candidati similes sibi sunt, in amando & redamando. *Ipse per se amor, ut Romanus Sapiens inquit, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem formæ, non sine spe mutua cbaritatis, accendit.* Unde Heroidum Ovidianarum prin-

ccps. Helena, ad procum stura Parin. ita scribit:

— — — nescio amare

Illum, quom fieri vix puto posse meum.

Quid enim molestius, quid gravius, quid onerosius, quàm cum fo-
li viri amant, & uxores non idem desiderant, & redamant; sed con-
fortes. tori suos fastidiunt: aut si Uxores Maritis suis amore ma-
tuo & reciproco minùs respondeant? Quod Plautina illa amica
suo amico dicit; id Sponsa suo desiderato Sponso dicat:

*Certè ego, quòd te amo, operam nusquam meliùs
potui ponere.*

Et contra Speratus Sperata sua cum amatore isto Comico ita
respondeat:

*Bene igitur ratio accepti atq; expensæ inter nos
convenit.*

*Tu me amas, ego te amo. meritò id fieri uterq;
existimat.*

*Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono.
Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat
commodis.*

Quamobrem illos ambos Desponsos ter quaterq; beatos judicemus
& prædicemus, quando æqualiter invicem amabunt & redama-
bunt. Nullum enim casti Amantes Amori speciosus & precio-
sus donarium aut redhostimentum invicem reciprocabunt, quàm
si Amorem ipsum suavissimum & cultu optimum alter alteri ob-
tulerit. Amor mutuus Compari illi conjunctissimo est instat
eibi, & mellis, aut celestis ambrosiæ & nectaris. Verè enim ac-
fite rare dicendi Venere & Gratiâ, ut solet, desideria & sensus
amantium Comica Siren ita describit:

Qui amat, quòd amat, si id habet, id habet pro cibo,

Sponsi certè nomen in aure Sponsæ est melos, in ore mel, in mente nectar: Sponsa verò Rosas & mulsæ Sponso suo loqui semper visa; *cujus melliti verborum globuli*, (ut cum purissimæ Latinitatis Arbitro mihi deliciari liceat) *Et omnia dictaq; factaq; quasi papavere Et sesamo sparsa videntur.* Quàm oculos tuos, imo penitam animi mentem, divine Nestor, exhilarabit, cum in posterum videbis, Filium tuum Musis & Gratiis litare, & Hermathenæ studio operam navare: nulum autem Palladis textrinâ, & gratis Gratiarum operibus & laboribus occupari! Quàm lumina tua pascunt, illum rosæ, hanc malo pulcherrimo & aureo; illum olivæ, hanc palmæ similem spectare. Quæ cum ita alterari & alternari in Compare videbuntur, nã tibi, sapientissime Senex, (pœne dixissem Seneca) Tuæ, affiniq; Peiniæ familiæ, omnibus cognatis, agnatis, propinquis, amicis & benevolis summa erit gaudii ubertas, animi pabulum, mulsam, & mera suavitas! Contra quantus obliquis, æmulis, invidis, & obrectatoribus, erit mœror in oculis, dolor in animo, & angor in pectore! Quare oculata fides tua verissimum Homeri effatum, Delphicum interpretabitur Oraculum:

Non usquam melior res, aut præstantior ulla est,

Quàm si dispensant animis concordibus ades,

Cumq; Viro mulier. De quo dolor urit iniquos,

Gaudia pertentant animos sperata faventum.

Quæ cum ita sint, nihil nobis reliquum est, quàm ut Dissertationem hanc Nuptialem cum pio Voto, tanquam gemmâ obsignemus. Ut autem Novis Nuptiis unice ex animo initam maritalem & domesticam societatem gratulamur: ita apud Deum votivis precibus instamus, ut intra anni tetrachordon, vel illius dodrantem, primitias Conjugalis fecunditatis, latis oculis conspiciant, basient, & amplectentur: atq; singulos juventæ suæ annos novis pignoribus numerent. Quemadmodum ex Albâ Gallinâ Livix Augustæ in sinum ab Aquilâ altivolante demissâ, tam numerosam pullorum ejusdem coloris, & formæ, sobolem provenisse legimus: ita ex fecundo

cundo & fecundo hoc Conjugali, ut sit dicam, GALLINARIO; meros Albæ Gallinæ filios, & albos pullos, hoc est, frequentes, auspiciatos, faustos, fortunatosq; liberos & hæredes speramus & exspectamus. Imò summa voti omnium bonorum est, ut, humanitùs benè ominando & vaticinando, ambo atate, & vigore corporis & animi vernantes, & ipsi Parentes, exoptatum & beatum olim videant diem, quo institutis similiter liberorum suorum gaudeant Nuptiis; quibus interea exemplo nostro, decantandò Hymenæo, decora & altiora ingenia exsurgent. Quanta itaq; Voluptas, quantum delictum, Nestor cordatissime, tibi olim fuit, cum unicum tuum Filium, in cunis infantem, semihulcis labellis, & blæsis verbis murmurantem & lallantem; puellum mensâ & scamnis reptantem, postea in arundine longâ eqvitantem, arma gestantem, lusitantem, cantillantem, saltitantem vidisti, audisti: & hujus voluptatis veteris tibi dulcis adhuc est recordatio: ita quoq; Parentes illi olim facti à suis pusionibus & ludionibus, lusitantibus, TATA TATA & MAMA subinde ingeminantibus exultabunt; & Tu cum illis, visis nimirum & auditis Nepotibus & Neptibus tuis, puerilibus ejusmodi minis & ludicris præmissis seria paterna & avita promittentibus, exultabis, & quasi novâ Aquilæ rejuvenescentis virtute, renasci videberis. Quanta Voluptas hæc domestica & intestina sit, ex tuo lugubri threno apparet, ubi de prærepto citius delictio & amore tuo, KUNIGUNDA VERO-NICA amabilissimâ Filiolâ, hisce versibus conquestus es:

*Quid loquar? aut querar, ô? Misero mihi Filia nulla
Jam superest, quæ det grata oblectamina porro,
Purpureis spectanda genis, roseisq; labellis,
Quæ meq; ac matrem queat exhilarare pientem,
Quæ mihi mane bonum voveat, noctemq; quietam:
Obvia quæ reducem excipiat, sermoneq; blando
Invitet, seu cœnæ instent, seu prandia; dextram,
Quæ mihi det teneram; dextra det Et oscula nostra,
Et capiti, atq; ori mellitula basia figat.*

Quæ

*Quæ mea jussa celer faciat, quæ prompta monenti:
Læta lubensq; stipem pro me quæ porgat egenis.
Quæ varias iteransq; preces, & Biblica dicta
Exactè recitans, studii me premia poscat.
Scipio quæ nostræ, vel sit columella, senectæ:
Spesq; adeo generi, vel post mea fata, futuri.
Omnia præstabas hæc tu mihi, Filia, eras vè
Olim præstatura, datum si longius ævum,
KUNGUNDA ò VERONICA, ò unica, & unice amata!*

Deniq; si tam dulce tibi & jucundum est, tuam imaginem, ingeni-
osissimi sculptoris WOLFGANGI HARTMANNI mutâ poësi
expressam, ac loquenti picturâ felicissimi poëtæ BERNHARDI
GUILIELMI NUSLERI, immortalis memoriæ Amici tui, facun-
dam & disertam intueri: quanto magis te delectabit & recreabit,
Nepotes, Neptesq; vivas spirantesq; Tui imagines aspectare &
contemplari! Hi enim omnes, tanquam Albæ Gallinæ filii, can-
didi pulli, & fausti alites, erunt Spes Parentum, avi deliciæ, me-
moria nominis Heneliani, columnæ domûs, futuri Reip. Cives,
aut, si Deo ita visum, patriæ Moderatores, ac Consultores.

**FELICITER, FELICITER, FELICI-
TER!**

